

et auctoritate superiori fieri debet. Jam vero quod ad causas unionum attinet, hujusmodi duae sunt a Sacris Canonibus probatae, videlicet evidens Ecclesiae utilitas, aut necessitas, cap. Exposuisti 33 de Praeb. ex. gr. si belli, vel temporis injuria sacrae aedes devastatae sint, si redditus ad sustentandum Clericum non sufficiant, si lites et studia Ecclesiarum de praeeminentiis, juribus et privilegiis per unionem resecentur. Sed cognitio causae, utrum justa sit, ad Superiorem Ecclesiasticum pertinet, a quo ipsa unio ad exitum perducenda est. Summus autem Pontifex ampla potestate donatur Ecclesias et Beneficia omnia conjungendi, et praesertim unio Episcopatum et Beneficiorum Consistorialium, ac primarum in Capitulis Dignitatum uni Pontifici reservata est. Reliquas autem Ecclesias et Beneficia suae Dioecesis unire potest Episcopus quin etiam plerique putant, Capitulum vacante Sede Episcopali, potestate augeri non sibi quidem, sed aliis locis piis aut Beneficiis Beneficia uniendi, modo nihil detrahatur iuribus Episcopalibus. Sed Vicarius Generalis sine speciali mandato Episcopi, imo nec inferiores Antistites, licet ordinaria jurisdictione praediti, Ecclesias et Beneficia sibi subjecta nequeunt adunare. Nam Coelestinus III in cap. Sicut UNIRE de excessib. Praelat. rescripsit « licere Episcopo Dioecesano unionem sine ipsis consensu et auctoritate a Praelato inferiore factam prorsus infirmare. » Lucius Ferrari in sua Biblioth. ad verbum *Unio Benef.* n. 14, affert hujusmodi decretum : « Sacra Congregatio Concilii censuit inferiores Episcopo non posse unire, nisi hanc facultatem legitime prescriperint, aut ex privilegio in Ecclesia sibi pleno jure subjecta jurisdictionem quasi Episcopalem habeant in omnibus et per omnia, alioquin unionem ab Episcopo faciendam esse cum consensu ipsius inferioris, et Capituli. »

Sed ipsi Episcopi vetantur quaedam Beneficiorum genera conjungere. Et 1. Beneficia liberae collationis cum Beneficiis Juris patronatus, ne utraque cadant sub patronatu. 2. Bene-

ficia curata cum Monasteriis, Abbatii, Dignitatibus, Praebendis, sive aliis beneficiis simplicibus, aut cum Hospitalibus, Collegiis, vel Locis piis : expedit enim ad spirituale bonum animarum, ut Parochus curam exercens integris Parochiae redditibus fruatur, sitque verus et perpetuus pastor tum re, tum nomine proprio. 3. Neque Beneficium unius Dioecesis cum alterius Dioecesis beneficio, ne una Ecclesia diversis Prac sulibus subjiciatur. 4. Ex Clement. finali de rebus Eccles. non alien. Episcopo non licet Mensae suae, quamvis pauperi, beneficium quodvis unire ad vitandam turpis lucri suspicionem, nec denique eidem Episcopo fas est beneficia Sedi Apostolicae reservata aut quocumque modo affecta aliis Beneficiis conjungere, tribus exceptis casibus, in quibus Canones Tridentini eam potestatem Episcopis delegarunt. Et 1 ex sess. 24 cap. 5 : « possint Episcopi etiam tanquam Apostolicae Sedis delegati, juxta formam juris, sine tamen praejudicio obtinentium, facere uniones perpetuas quarumcumque Ecclesiarum Parochialium et baptismalium, et aliorum Beneficiorum curatorum, vel non curatorum cum curatis propter eorum paupertatem, et in caeteris casibus a jure permisis, etiamsi dictae Ecclesiae vel Beneficia essent generaliter vel specialiter reservata, aut qualitercumque affecta. Quae uniones etiam non possint revocari, nec quoque modo infringi vigore cujuscumque provisionis, etiam ex causa resignationis, aut derogationis, aut suspensionis. » 2. Ex cap. 18 sess. 23 de Reform. datur Episcopis facultas uniendi Seminariis, ne ex redditum defectu pereant, « beneficia aliquot simplicia, cujuscumque qualitatis et dignitatis fuerint etiam ante vacationem sine cultus divini, et illa obtinentium praejudicio, quod locum habeat etiamsi beneficia sint reservata vel affecta. » 3. Denique sess. 24 cap. 13 de Reform. : « In Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis insignibus, ubi frequentes adeoque tenues sunt praebendae simul cum distributionibus quotidianis, et sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci et personarum

qualitate non sufficient, liceat Episcopis cum consensu Capituli, vel aliquot simplicia Beneficia, non tamen regularia, iis unire, vel si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex iis suppressis cum patronorum consensu, sive jure patronatus laicorum sint, quarum fructus et proventus reliquarum praebendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciores numerum reducere : ita tamen ut tot supersint quae divino cultui celebrando, ac dignitati Ecclesiae commode valeant respondere, non obstantibus quibuscumque Constitutionibus et privilegiis, aut quacumque reservatione generali, vel speciali, aut affectione. »

Ex hoc Decreto praecipue colligitur : 1. Quod unio singulis praebendis distributive, non autem mensae Canonorum generatim, nec massae distributionum, nec Sacristiae, nec Fabricae, neque Capellaniis, aliisve officiis earumdem Ecclesiarum facienda sit. 2. Quod simul concurrat et praebendarum et distributionum tenuitas, quum alterutra non sufficiat. 3. Quod Episcopis, non autem Praelatis inferioribus ea potestas tribuatur, eaque uti Episcopus possit, si velit; ipso autem nolente Canonici nequeunt unionem hujusmodi a Metropolitanis efflagitare. Vid. tamen Bened. XIV de Syn. Dioec. I. 9 cap. 7.

Unioni Beneficiorum opponitur disjunctio, qua nempe ipsorum unio antea rite facta dissolvitur, ut proinde eadem Beneficia in pristinum statum restituantur. Uniones autem dissolvi possunt cessante causa, propter quam Beneficia unita fuerant, uti si populus creverit, si redditus aucti, si aedes sacrae restituae, itemque dissolvuntur Beneficia ob causam novam supervenientem qua unio incepit noxia esse Ecclesiae. Porro Beneficia eisdem solemnitatibus dissolvenda, quibus conjuncta fuerunt, cognita nempe causa disjunctionis, habito consensu Capituli, et vocatis quorum interest unionem non dissolvi, et sine praejudicio Rectoris, ac denique auctoritate Episcopi a quo unio facta fuerat. Quin Interpretes monent

Episcopum dissolvere posse non solum uniones ab se, vel suo Praedecessore factas, verum eas etiam quas Legatus Pontificis vel ipse Pontifex fecerit, tum quia Pontifex uniendo potestatem dissolvendi Episcopo non abstulit, tum quia dissolutio veluti favorabilis Ecclesiae habeatur. Caeterum Beneficiis in eum locum restitutis in quo ante unionem erant, collatio eorumdem aut presentatio ad eos pertinet quorum antea fuerat, nisi collator aut patronus sua jura aperte renuntiaverit, vel nisi aliter in actu disjunctionis statutum sit, id quod ad lites praecavendas in decreto disjunctionis expresse declarandum est.

§ 87.

DE BENEFICIORUM DIVISIONE, DISMEMBRATIONE, ET SUPPRESSIONE.

Altera innovationis species est divisio, seu sectio Beneficii, per quam ex uno beneficio fiunt duo aut plura, ita ut divisis redditibus, juribus et oneribus, duo aut plures Beneficiati deinceps instituantur. Pertinet autem divisio Ecclesiarum Cathedralium ad unam et supremam S. Pontificis potestatem; Paroecias vero, aliaque beneficia inferiora Episcopus dividit, Argum. cap. 10 de Praebend., modo adsit causa necessitatis vel evidenter utilitatis, ut ex. gr. si unus Rector explendis muneribus Beneficii impar sit, si proventus utriusque beneficio dotando sufficiat, et hujusmodi. Sed in divisione Parochiarum non quaelibet necessitas praestat sufficientem causam dividendi, sed eam esse oportet, ut aliud ei remedium adhiberi nequeat. Itaque si populo, quamvis aucto, impar sit unus Rector Sacramentis ministrandis, et divino cultui peragendo, tunc non licet Episcopo ex ea causa Parochiale beneficium dividere, sed uti debet remedio, quod propositum est a Concilio Trid. cap. 4 sess. de Reform., cogendi scilicet Rectores ut tot Sacerdotes sibi in auxilium assumant, quod necessitas postulaverit. In eo tantum casu datum est Parochiam dividere

et aliam erigere, quum talis est locorum distantia et difficultas, ut Parochiani sine magno incommodo, aut vitae discrimine nequeant Parochiam adire ad Sacraenta percipienda, divinaque Officia audienda. Concurrente vero praedicta causa Episcopus ad divisionem progreedi potest, Rectore veteris Ecclesiae vel Parochianis etiam invitis, cum a Tridentino Concilio cit. sess. 21 cap. 4 res tota judicio Episcopi concredita est: citari tamen et audiri debent si forte rationabilem contradicendi causam haberent. Porro huic novae Ecclesiae peculiares redditus assignandi pro congrua Rectoris sustentatione, pro sacra supellectili, alioque Ecclesiae ornatu, eique solvuntur decimae, oblationes, aliaque jura Parochialia a novis Parochianis; decimae tamen ad Ecclesiam matricem pertinentes non transeunt ipso jure in Parochiale recenter erectam, sed tantum in defectum congruae dotis; quamobrem arbitrio Episcopi relinquitur, vel decimas ipsas, vel alios redditus in dotem constituere. Sed a filiali Ecclesia aliquid Matrici in signum subjectionis annuatim praestandum erit, quemadmodum idem Episcopus statuet; ipsique matrici Ecclesiae, quasi quadam compensatione, ut inquit glossa in cap. AD AUDIEN-TIAM de Eccl. aedif., reservatur jus praesentandi Rectorem novae Ecclesiae, quod tamen locum habet, quando Ecclesia matrix dotem filiali confecerit.

Tertia innovationis species est dismembratio Beneficii, per quam salva illius unitate pars aliqua fructuum ab eo detrahitur, et alteri Beneficio, seu piae causae attribuitur. Dismembratur fructus, si pensio constituitur, aut taxa imponatur: dismembratur territorium, si populus unius Ecclesiae alteri assignetur; dismembratur jurisdictionis spiritualis, si aliqua potestas ex privilegio, vel consuetudine comparata afferatur aut in alteram Ecclesiam transferatur, aut etiam si ea potestas, quam aliquis super plures Ecclesias habebat, intra fines angustiores coerceatur, aut singulis Rectoribus ipsarum Ecclesiarum tribuatur. Dismembratio jure ordinario vetatur:

caeterum, ex decreto Concilii Tridentini sess. 23 cap. 18 de Reform., Episcopi, exhibito consilio Deputatorum, et servata forma ipsius Decreti, aliquam possunt portionem fructuum tum a mensa Episcopali, tum ex Canonicatis, Dignitatibus aliisque Beneficiis detrahere, et Seminariis applicari, quae beneficiorum dismembratio vulgo *taxa* nominatur. Haec autem Beneficiorum dismembratio seu *taxa* pro ipsa Seminarii erectione rite praestituitur, et constitui potest primum ratione scutatorum trium pro quolibet centenario fructuum, et si non sufficiat, usque ad scutata quinque augeri. Vide Benedictum XIV de Synod. Dioeces. I. 9 cap. 7. Uniones vero Beneficiorum non valent, nisi postquam Seminarium erectum est.

Postrema denique Beneficiorum innovatio contingit per suppressionem seu extinctionem, qua scilicet beneficium plane destruitur, ejusque redditus, si qui sint, aliis usibus ecclesiasticis assignantur. Si audias Pyrrum Conradum Praxis Beneficiariae lib. 2 cap. 8 n. 70, nulla est Episcopo auctoritas supremi Beneficia, nisi in causa a Concilio Tridentino expressa sess. 24 cap. 15 de Reform., cum nimirum in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis insignibus, ubi frequentes adeoque tenues praebendae sunt, ut sustinendo decenti Canonorum gradui non sufficient, et ideo necesse sit ut quorundam beneficiorum suppressione, aut unione augeantur. At vero, ut Leurenus animadvertis in foro Beneficiali p. 2 q. 971, n. 16, « potest Episcopus in vim aliorum decretorum Tridentini, vel etiam de Jure communi in omnibus illis casibus supremere beneficia, in quibus ea unire potest accessorie: quippe illa unio non fit sine suppressione. » Si qua tamen Ecclesia aut vetustate collapsa, aut igne absumpta, aut aliter eversa, et propter inopiam nequeat instaurari, beneficia ibidem erecta non supprimi, sed in matrices aut alias Ecclesias transferri ab Episcopo debent una cum omnibus emolumentis et oneribus, quod edixit eadem Synodus Trident. sess. 21 cap. 7 de Reform.

§ 88.

DE COLLATIONE BENEFICIORUM.

Quatuor praecipue sunt modi, quibus beneficia ecclesiastica conferuntur, scilicet : 1. electione; 2. postulatione; 3. collatione; 4. institutione, sive Jurepatronatus. De electione et postulatione, per quas ad Episcopatus, aliaque Beneficia maja, et Ecclesiasticas dignitates pervenitur, satis dictum est superiori libro : de institutione vero quac Beneficia Jurispatronatus respicit, paulo post opportunior sermo redibit; nunc itaque reliquum est ut tantum de collatione dicamus. Itaque collatio est vacantis Beneficii concessio qua nempe titulus beneficii, ejusque jura cum spiritualia, tum etiam temporalia tribuuntur. De hac beneficiorum collatione tria potissimum quaerenda : 1. quinam beneficia conferre; 2. quibus conferri possunt; 3. quae sit forma collationis rite perficienda.

Quod autem ad primum spectat, cum beneficii collatio sit actus potestatis spiritualis, qua jura et ecclesiastica ministeria dispensantur, et ita Sacerdotio adhaereat, profecto liquet ad solos Ecclesiae Praesules eam collationem pertinere. Quapropter collationes a laicis factae nullae atque irritae sunt, cap. QUOD AUTEM de jure Patron.; et Clericus « qui Ecclesiam per laicos sine propria auctoritate Episcopi receperit, communione privetur, et si perstiterit, a ministerio ecclesiastico, et ordine deponatur » cap. 4 eod. Vix nonnullis Regibus et Abbatissim admodum raro, et speciali Apostolicae Sedis privilegio concessum est, ut tanquam vicarii, seu ministri, et procuratores Pontificis certa beneficia conferrent : qua de regendum est, Leurenus in foro Benef. p. 2 sess. 3 cap. 2 quaest. 726.

Triplici autem jure, scilicet vel plenario, vel ordinario, vel

delegato Praesules Ecclesiae beneficia conferunt : Pontifex quidem plenario, Episcopi ordinario, Cardinales, aliquie Apostolicum indultum habentes delegato.

De singulis dicendum est.

§ 89.

DE COLLATIONE BENEFICIORUM JURE PLENARIO.

In primis itaque, ut verbis utar Clementis IV in notissimo Cap. LICET 2 de Praeben. et Dignit. in 6º : « Personatum, Dignitatum, aliorumque Beneficiarum ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscitur Pontificem pertinere, ita quod non solum ipsa cum vacant potest de jure conferre, verum etiam jus in ipsis tribuere vacaturis. » Enimvero consueverunt Pontifices conferendis Beneficiis manus admovere per mandata de providendo, seu per litteras Apostolicas, quibus mandabant locorum Ordinariis, ut designato Clerico aliquod Beneficium largirentur. Mandatis de providendo affines erant gratiae exspectativae, nisi quod mandata latius patarent, cum pro Beneficiis etiam vacantibus darentur, gratiae vero exspectativae pro solis Beneficiis vacaturis. At Romani Pontifices mandata hujusmodi Episcopis non dabant, nisi pro clericis piis et litteratis, nec habentibus unde viverent. Quare Alexander III cap. 6 de Praeben. et dignit. rescripsit non teneri Ordinarium Collatorem exsequi mandata Pontificis, si Clericus aliud Beneficium habeat, cuius nulla mentio in mandatis Apostolicis facta est. Praeterea Romani Pontifices haud consueverunt plus uno mandato eamdem Ecclesiam gravare, cap. 30 et 38 de Rescript. Pontifices autem mandata et gratias exspectativas largiebantur jure praeventiois, quod nimur ex supremo Ecclesiae regimine concurrentem cum singulis Episcopis potestatem habeant. Exploratum vero est inter eos, qui concurrentem jurisdictionem habeant, praef-

100 CAP. II. DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

ventioni locum esse. Hoc autem jure usi sunt S. Pontifices, non modo ut beneficia vacantia conferrent, verum etiam ut spem in vacatura tribuerent, quod plena et libera est Romani Pontificis potestas. Mandata vero et gratiae expectativa locum dederunt reservationibus, quando quidem si Pontificibus potestas inerat beneficia nondum vacantia conferendi, aut Collatoribus ordinariis mandandi, ut ea cum primum vacassent, designatis Clericis conferrent, eo magis eisdem Pontificibus jus esse oportuit propriae suae collationi certa beneficia reservandi. Siquidem reservations sunt decreta, quibus Pontifices collationi suaे quaedam vacantia, aut vacatura Beneficia addicunt, sublata inferioribus Collatoribus eadem conferendi potestate. In Conciliis Constantiensi, et Basileensi actum est de Mandatis, gratiis exspectativis, et reservationibus penitus abolendis, aut saltem temperandis : at horum Conciliarum decreta non ubique recepta fuerunt. Igitur instaurata quaestio est in Concilio Trid. ubi mandata de providendo, et gratiae expectativa, et aliae quaecumque gratiae ad vacatura Beneficia sublatae sunt, simul et reservations mentales quibus Pontifex beneficium aliquod in gratiam alicujus Personae reservabat, reticito et quasi in mente servato nomine ipsius personae, cui cum vacasset, collaturus erat. Quae quidem Tridentinae Synodi decreta non modo Pontifices confirmarunt, verum etiam per Regulas Cancellariae curaverunt, ut in posterum religiose custodirentur. Verum ad reservations quod attinet, Tridentini Patres duxerunt nihil esse immutandum. Itaque reservations adhuc in Ecclesia vigent ; et merito quidem, tum quia decuit Pontificem ampliori præ caeteris Praesulibus potestate potiri in beneficiis ecclesiasticis, quasi communibus Ecclesiae bonis distribuendis, tum quia Ecclesiae conductit ut Pontifex in dissitis etiam Ecclesiis gratias elargiri possit, quibus nationum reverentia et studium erga Apostolicam Sedem confirmatur, tum quia denique necesse est ut Pontifici praesto sint stipendia et remunerations, quibus tot

§ XC. DE RESERVATIONIBUS APOSTOLICIS. 161

tantisque viris pro totius Ecclesiae utilitate, vel apud Romanam Sedem, vel ejus mandato per orbem collaborantibus debita laboris et meritorum praemia solvantur. Praestat igitur ut de Reservationibus Apostolicis aliqua in medium profaramus.

§ 90.

DE RESERVATIONIBUS APOSTOLICIS.

Reservations aliae *Juris corpore clausae*, et aliae *extra corpus Juris*, hoc est in *Extravagantibus* esse dicuntur : item aliae per *insequentium Pontificum Constitutiones*, et aliae demum per *Regulas Cancellariae* inveniuntur. Hosquatuor reservationum fontes singillatim aperiemus. Itaque *Juris corpore clausa est* Reservatio beneficiorum quae in Curia vacaverint, ex Constitut. Clementis IV; cap. 2 de Praeben. in 6^o. Hanc reservationem Bonifacius VIII cap. 34 eod. tit. in 6^o latius explicavit, atque decretivit ea quoque beneficia in Curia vacare, quorum Rectores vel accedentes, vel decedentes a Romana Curia in locis vicinis extrellum spiritum effudissent, itemque beneficia Curialium qui in locis Curiae vicinis morerentur, modo ibi domicilium aut domum propriam non haberent. Loca vero vicina Curiae a Bonifacio dicuntur, quae ultra duas diaetas legales, seu quadraginta milliaribus italicis a loco non distant, ubi Curia moratur. « Porro, ut subdit Pontifex, quum Curia de loco ad locum transferri contingat. Si Curiales in itinere, dum Curiam sequuntur eamdem, vel in loco underecedit ipsa Curia forsitan remanentes infirmi, rebus inibi eximantur humanis, praemissum statutum, quantumcumque locus ubi decedunt ab ipsa Curia sit remotus, ad illorum beneficia se extendit. » Haec una juris scripti reservatio, et caeteris antiquior, illud præcipuum habet quod si Pontifex unius melius spatio a die vacationis Beneficia in Cura vacantia non contulerit, eadem Ordinarii Antistites post mensem rite conferunt,

cap. 3 eod. : in aliis quippe reservationibus nullum Pontifici tempus praefinitum est, quo elapso potestas conferendi ad Ordinarios revertatur. Haec praeterea reservatio Parochiales Ecclesias non afficit quae vel defuncto pontifice, vel eo in vivis agente apud Curiam vacaverint : harum enim collatio Ordinariis Antistitibus libera est, « ne ipsarum vacatio diutina periculum valeat animabus afferre, » cap. 4 eod. tit. Nec obstat regula 10^a Cancellariae, qua novo cuique Pontifici reservantur beneficia, quae Antecessori reservata erant nec ante obitum ab ipso collata, eo quod generalis beneficiorum reservatio Parocicias non complectitur, nisi earum mentio habita sit ; regula autem Cancellariae beneficia Parochialia silentio praeterivit.

« *Extra corpus Juris communis, sive in Extravagantibus communibus,* » hoc est in Extravaganti PIAE SOLlicitUDINIS de Praeben. inter comm.; in Extravaganti EX DEBITO de Election.; in Extravag. EXECRABILIS de Praeben. et Dignit.; et in Extravag. AD REGIMEN eod. tit. hae reservationes continentur.

Videlicet Bonifacius VIII in Extravag. PIAE de Praeben. inter comm. iterum reservat beneficia in curia vacantia, nec in ea fit mentio de potestate Episcopis mense lapso concessa eadem conferendi, si Pontifex nondum contulisset. Pirhing tamen de Praeb. n. 332 in ea sententia est, quod ea Episcoporum potestas non sit revocata. Joannes quoque XXII, in Extravag. EX DEBITO, antiquam reservationem Beneficiorum in Curia vacantium latioribus adhuc verbis explicavit, et Pontificiae collationi reservavit : 1. Cathedrales omnes Ecclesias, Monasteria et caetera prorsus Beneficia sive majora, sive minoria, quae aut in Curia, aut in locis Curiae finitimi vacaverint. 2. Beneficia omnia, quae per depositionem, privationem et translationem, Apostolica auctoritate factam, sive per electionem vel postulationem a Pontifice infractam et rejectam, sive per resignationem ejusdem Pontificis auctoritate admissam vacaverint, ibi enim censetur beneficium vacare, ubi dimitti-

tur vel adimitur : 3. Beneficia quae Vice-Cancellarius Camerarius, Legati, Capellani Commensales, aliquie Romanae Curiae Officiales obtinuerint, sive in Curia, sive alibi vita fungantur. Idem Pontifex Joannes XXII in Extravag. EXECRABILIS reservavit omnia beneficia vacantia ob vetitam alterius incompatibilis Beneficii retentionem aut adeptiōnem ita ut beneficium, quod ob eam causam dimittitur, ad collationem Pontificis spectet, si tamen alterum beneficium non modo pacifice possideatur, verum etiam auctoritate Apostolica collatum sit. Generatim vero per eamdem Extravagantem Apostolicae Sedi reservantur etiam Beneficia omnia, quae ab Ordinariis contra formam Concilii Tridentini collata fuerint. Denique, in Extravaganti AD REGIMEN, Benedictus XII superiores omnes reservationes innovavit, confirmavitque, sed contestatus est reservationes ipsas ad vitae sua tempus arcere, quod etiam Joannes XXII, in Extravaganti EX DEBITO contestatus fuerat.

Ad tertium genus reservationum, quae exemplo horum Pontificum a Successoribus Pontificibus inductae sunt pertinent Constitutiones quae sequuntur. S. Pius V, in Constitutione CUM EX APOSTOLATUS, reservavit Beneficia vacantia propter crimen haeresis, quod etiam spectat Constitutio Gregorii XIII IN ECCLESIIS. Idem S. Pius V, in Constitut. INTOLERABILIS, reservat non solum Beneficia per simoniam confidentialē obtenta, quod primum a Pio IV, in sua Const. ROMANUM PONTIFICEM, sanctum erat, sed omnia prorsus beneficia, quibus antea simoniacus confidentialis potiebatur. Ecclesiae quoque Parochiales, quae contra formam Synodi Tridentinae sine concursu collatae sint, et beneficia vacantia sede Episcopali vacante collationi Pontificis per Constitut. IN CONFERENDIS, et Constitut. SANCTISSIMUS IN CHRISTO, ab eodem S. Pio V addicta sunt. Alexander vero VI Constitut. IN EMINENTI poenam depositionis ab omni dignitate, ordine et beneficio in eos decrevit, qui in Romana Curia litigantes, Ju-